



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CXX. Das Generalcapitel des Prämonstratenser-Ordens verfügt, daß alle drei Jahre eine allgemeine Zusammenkunft der Prämonstatenser-Pröpste gehalten werden soll, am 6. Juni 1295.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

apostolorum, beatorum martirum Livini, Lini, Anthonii, Georgii, beatorum pontificum Augustini, Martini, Nicolai, beatorum virginum Katerine, Margarete, Agnetis et in festo omnium sanctorum et in festivitatibus sancte crucis, videlicet in inventione et exaltatione et in anniversariis dedicationis ipsius ecclesie et altarium existentium in eadem, et per octo dies predicta festa immediate sequentes et in diebus rogationum et in die palmarum et per octo dies proxime sequentes causa devotionis acceperint, aut qui prelibate ecclesie pro sua fabrica vel structura, libris, luminaribus, ornamentis vel pro aliis suis necessariis manus porrexerint adjuvantes seu in extremis laborantes quicquam suarum legaverint facultatum, aut qui presbiterum ejusdem ecclesie cum sacra communione aut unctione infirmos visitantem cum reverentia devote fecuti fuerint, aut qui cimiterium ipsius ecclesie circumeuntes oraverint pro defunctis, aut qui ibidem in ecclesia elegerint sepulturam, nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate consili singuli singulas dierum quadragenas cum karena de injunctis sibi penitentiis, dummodo consensus dyocesani ad id acceperit, in domino misericorditer relaxamus. In cujus rei testimonium presens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Rome, idus Aprilis anno domini M^o. CC^o. LXXXX^o. quinto, pontificatus domini Bonifacii pape octavi, anno primo.

Nach dem Originale, woran noch vierzehn Siegel von Cardinälen hängen. Eine Erneuerung dieses Ablassbriefes durch Paps Bonifaj VIII. selbst aus dem Jahre 1296 ist zwar ebenfalls noch vorhanden, aber unleserlich geworden.

CXX. Das Generalscapitel des Prämonstratenser-Ordens verfügt, daß alle drei Jahre eine allgemeine Zusammenkunft der Prämonstratenser-Pröpsle gehalten werden soll, am 6. Juni 1295.

— Nicolaus, dei gratia prepositus sancte Marie Magdeburgensis, ordinis sancti Augustini, et prelatorum ordinis ejusdem capitulum generale — generosa plantatio Premonstratensis ordinis, a qua velut a stipite nostre religionis ramus erigitur, cujus conversatio laudabilis honestatis flores et fructus profert, nos excitat et inducit, ut honorem ipsius favore benivolo prosequentes salutifera ipsi capituli monita ac ordinis nostri commoda, quantum cum deo possumus et secundum virium nostrarum valentiam studeamus efficaciter adimplere; igitur convocatione de nobis facta super publicatione prerogativarum et privilegiorum, a predicto Premonstratensi capitulo nostro ordini indultorum ac super aliis tractatibus utilibus nobis in unum convenientibus in anniversario clare felicisque recordationis domini Norberti, quondam Magdeburgensis archiepiscopi, institutoris nostri ordinis, et in ecclesia sancte Marie Magdeburgensis, de qua secundum fundationem ordinis primitivam nostre derivative descenderunt ecclesie: videlicet domino preposito ecclesie jam dicte ordinisque patre, nec non de Brandeburch, de Havelberch, Ratzeburch, cathedralium, de Gratia dei, de Lezeka, de Jericho, de Kolbeké, de Quidilingheburch, de Mildenvorde, de Poledhe, de Grammezowe, de Themeniz, de Staden, de Hilburgerode et de Brode, ecclesiarum ordinis sancti Augustini prepositis, publicatis indultis supradictis, utilitate communi pensata, decrevimus infra scripta concorditer et unanimiter statuenda. Primo quidem statuimus, quod nos prelati dictam Magdeburgensem ecclesiam inter nos cum devote subjectionis reverentia principaliter pro matre reputabimus et capite, cujus membra nostras ecclesias fore recognoscimus ac ad essentiam ordinis velut a capite processisse. Item statuimus, quod nos prelati omnes et singuli de triennio in triennium in anniversario domini

Norberti archiepiscopi supradicti, venire debemus Magdeburg ad capitulum propriis in personis. Si quis autem, infirmitate corporis vel aliis legitimis impedimentis detentus, venire non potest, cum mandato procuratorem idoneum pro se mittet. Preterea statuimus, quod a nobis prelati ad jam dictum capitulum venientibus diffinitores duo vel tres in hujusmodi capitulo eligantur, qui una cum domino preposito ecclesie sancte Marie Magdeburgensis, patre ordinis predicto, super ipsius ordinis reformatione stuant, ordinent et disponant, quicquid ad promotionem ipsius expedire cognoverint, quod a nobis statuimus inviolabiliter observandum. Item statuendo volumus, quod pro nobis omnibus unus prelati secundum ordinem prelatorum et formam contributionis expensarum eorundem infra scriptorum de triennio in triennium debet Premonstratense capitulum visitare. Fiet itaque talis taxatio contributionis secundum facultatem ecclesiarum et reddituum prelatorum: dominus prepositus Magdeburgensis septem fertones cum dimidio contribuet, Brandenburgensis duas marcas, Ratzeburgensis quinque fertones cum dimidio, Havelbergensis tres fertones, de Gratia dei et Lezeka, de Jericho et Grammzowe, de Staden, eorum quilibet tres fertones, de Mildenvorde, de Broda quilibet unum fertonem cum dimidio, de Quidelingburch, de Poledhe, de Rode prelati quilibet unum fertonem. Cujus pecunie Brandenburgensis argenti contributio debet in ecclesia sancte Marie Magdeburgensi et in anniversario domini Norberti proximo ac deinceps sequenter in eisdem, appropinquante visitatione capituli, comportari. Si quis autem prelatorum, quod abfit, infra duos menses ab hujusmodi anniversario continue numerandos contributionem per modum comportationis jam dictum neglexerit presentare, omnium accedente consensu statuimus, quod contra talem per suspensionem officii pro defectu comportationis mensis primi, et per excommunicationis sententiam pro defectu comportationis secundi a sepe dicto domino preposito sancte Marie, ordinis nostri patre, procedatur, qui prelati mandabit, ut ipsum excommunicatum publice nuncient et suis subditis precipiant, quod similiter hujusmodi denunciationem in suis ecclesiis fideliter exequantur. Est autem ordo talis, quem prelati, ad Premonstratense capitulum euntes circulariter observabunt: Quia dominus prepositus Magdeburgensis, de Gratia dei, de Jericho, de Grammezowe in preterito proximo Premonstratensi fuerunt capitulo, ibi in proximo nunc appropinquante capitulo Brandenburg., deinde Havelberg., Ratzeburg., Letzeken., de Staden, de Brode, de Quideling., de Kolbeke, de Hilburgerode, de Poledde, de Mildeforde. Post hoc iterum prepositus Magdeburgensis circulum ordinis renovabit, eodem ordine sequenter ac deinceps ab omnibus jam dictis prelati, ut est dictum, inviolabiliter observato. Item statuendo pronunciamus et pronunciando statuimus, quod quilibet prelatorum pecuniam infra scriptam per modum taxationis particulariter unicuique deputatam, annis singulis ad defensionem et utilitatem ordinis contribuet comportandam in anniversario et ecclesia prenaratis ac ordinis patri sepedicto suisque condiffinitoribus presentandam, utpote dominus prepositus Magdeburgensis unam marcam, Brandenburgensis quinque fertones, Raceburgensis tres fertones, Havelbergensis, de Gratia dei, de Jericho et Lezeka, de Grammezowe et de Staden quilibet dimidiam marcam, de Mildenvorde, de Brode, de Hilburgerohde, de Quidelingeburch, de Polehde et de Kolbeke, quilibet unum fertonem, quam pecuniam Brandenburgensis argenti ipsi dominus prepositus Magdeburgensis, pater ordinis, ac diffinitores ad usum et necessitatis ordinis fideliter conservabunt. Volumus etiam et statuimus, quod quilibet prelati ordinis ad hoc intendere debet maturitatis providentie cum effectu, ut a subditis suis ordo fervetur, secundum antiquas ecclesie sue consuetudines et approbatas et hactenus observatas. Si quis autem subditorum a suo prelati, collo rebellionis extento, per inobedientie maliciam incorrigibilis extiterit, ad dominum Magdeburgensem prepositum et diffinitores illius incorrigibilitas deferetur, ut super ea materiam coercitionis

et correctionis inveniant, quibus suam contundant malitiam, excessus ejus correctione debita refrenando. Item quia nonnulli nostri ordinis religiosi causas inter se seu querimonias emergentes ad extraneos trahunt iudices et in scandalum ordinis, suorum eliminant iudicium prelatorum, statuimus, quod hujusmodi querimonie sive cause, si per prelatos terminari nequeunt, ad dominum Magdeburgensem prepositum ac diffinitores predictos tanquam ad superiores iudices integraliter devolvantur, quorum iudicio cum sine decisionis congrue terminentur. Et ne statuta nostra, maxime circa nostras ecclesias et loca novis adinventionibus vel figmentis imitari contingat in posterum, ea scripti testimonio sigillisque nostris et capitulorum nostrorum duximus roboranda. Actum anno domini M^o. CC. LXXXIX^o. quinto, die et loco predictis in capitulo generali. — Iste ecclesie sunt exempte ab ordine Premonstratensi: prima et principalis Magdeburgensis ecclesia sancte Marie, mater aliarum ecclesiarum, in civitate sita, Gratia dei, Magdeburgensis diocesis, filia Magdeburgensis, Lezeka, Brandenburgensis diocesis, Magdeburgensis filia, Brandenburgensis cathedralis ecclesia, filia Magdeburgensis, Jericho, Havelbergensis diocesis, filia Magdeburgensis, Ratzeburgensis ecclesia cathedralis, filia Magdeburgensis, Rome Lateranensis ecclesia ad sanctam crucem, filia Magdeburgensis, Polehde Maguntinensis diocesis, filia Magdeburgensis, Colebeke Halberstadenensis diocesis, filia Magdeburgensis, Hilborgerode, Halberstadenensis diocesis, filia Magdeburgensis, Mildenforde Nuenborgensis diocesis, filia Magdeburgensis, Quidelingeborgensis, Halberstadenensis diocesis, filia Magdeburgensis, Hartenenensis ecclesia, filia Gratia dei, Broda Havelbergensis diocesis, filia Havelbergensis, Siade, Bremensis diocesis, filia Gratia dei, Grammezowe Caminensis diocesis, filia Jericho, Hefelt, que nunc obedit ordini Premonstratensi, filia Polehde.

Nach der Copie im Copialbuche. Der Abdruck bei Gercken (Stifts-Historie S. 504) nicht ganz fehlerlos.

CXXI. Das Johanniskloster bei Magdeburg nimmt das Domcapitel in seine Brüderschaft auf, im Jahre 1295.

Arnoldus, dei gratia abbas, totumque collegium monachorum monasterii sancti Johannis baptiste Magdeburgensis extra muros ordinis sancti Benedicti, honorabili in Christo domino preposito totique capitulo ecclesie in Brandenburg — exigente pie devotionis affectu, quem ad monasterium nostrum percepimus vos habere, petitionem vestram benigno et hilariter accepimus et recipimus cum assensu, dando vobis plenam fraternitatem et plenariam participationem omnium bonorum, que fiunt et de cetero domino dante in monasterio nostro fiunt, in vita nostra pariter et in morte, in missis, in vigiliis, in devotis orationibus, et in aliis bonis operibus divina gratia largiente, et quando obitus vestri nobis intimati fuerint, vigilie et misse et verba misericordie in conventu nostro, nisi obstante festo, dicentur. Quivis etiam sacerdos quinque missas, dyaconi et subdyaconi quilibet quinque psalteria legent integre et complete. Insuper inter sex sacerdotes triginta misse per priorem partientur. Quod similiter nobis apud vos fieri petimus et optamus. Sed dator bonorum omnium et gratiarum distributor largissimus nobis et vobis dei semper bonorum operum incrementum. In hujus igitur rei testimonium nostrum et nostri conventus sigillum presentibus est appensum. Datum anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quinto.

Nach dem Originale.